

AD SYNESII H. 1. 292 ADNOTATIUNCULA

In Synesii Cyrenensis hymno primo (tertio secundum ordinem priorem) inde a v. 291 haec leguntur :

τό τε κνδῆεν γένος ἠρώων ἔργα τὰ θνητῶν κουφίαισιν ὁδοῖς διανισσομένον ἔργα βρότεια.

Haec in omnibus libris. Codices vero, qui familiae β sunt, v. 292 ante *γένος* vocabulum quoddam inserunt variis modis scriptum; legimus enim vel *ἄλιμα* vel *ἄλημα* vel *ἄλμα*. Quod vocabulum quin a Synesii verbis alienum et a textu quem dicunt secludendum sit, non est dubium, cum tres vel duas syllabas hic addi numerorum ratio vetet. Nec tamen quae sit huius additamenti vis quidque significet, satis perspexisse editores mihi videntur. Nicolaus quidem Terzaghi, vir de Synesio optime meritus, hoc vocabulum, cuius veram formam *ἄλημα* esse existimabat, a Christiano homine additum esse suspicatus est, qui heroas vel daemonas non claros insignesque, sed vafros versutosque esse Sophocleo verbo adnotare voluisset. Quae explicandi ratio ne ipsi quidem satis placuisse videtur perspicacissimo viro, qui fortasse corruptum esse illud *ἄλημα* formamque vocis, quae est *ἀλαός*, latere insuper moneat. Mihi *ἄλιμα* scriptum esse videtur pro *ἄλειμμα*, hoc autem vocabulo significari macula chartae. *Ἀλειμμα* enim dictum pro macula, etsi a prisca Graecitatis aetate alienum fuit, recentioribus temporibus non inusitatum esse videtur. Quod confirmaturos esse spero qui neograecae linguae peritiores sint; mihi satis est ad narratiunculam relegare a Nicola Georgio Politis relatam, in qua nigrae maculae lunae *οἱ μαύραις ἀλεμματιαῖς τοῦ φεγγαριοῦ* appellantur¹. Quae si recte exposita sunt, verba, quae loco supra allato in libris leguntur, haud scio an melius intellecturi simus. Versus enim 293 et 296 sententia prorsus congruunt, quare alterum utrum iure sustulerunt qui Synesii hymnos ediderunt. Atque optime hic egisse mihi videtur Nicolaus Terzaghi, qui v. 293 seclusit, v. 296 vero ante illum collocavit, duos hos versiculos in libris olim co-

¹) Vide sis N. G. Politis apud W. H. Roscher, *Selene und Verwandtes* (1890) p. 180; *Παραδόσεις I* (Athenis 1904) p. 129.—Cum civitas in qua dego libris, qui ad recentioris Graecitatis studia pertineant, adhuc careat, velim ignoscat̄ur mihi haec non satis accurate persequent̄i.

niunctos fuisse suo iure ratus. Sed ille quidem non tam variam librorum lectionem deprehendisse sibi videbatur quam variam ipsius poetae scriptionem, qui verba *τὰ θρηγιῶν* in priore editione extantia postea mutavisset. Quod ita fieri potuisse quamquam non negaverim, tamen *ἄλειμα* illud ut aliam explicandi rationem ineamus forsitan suadeat. Hoc enim modo rem se habere suspicor. In illo hymnorum codice vetusto, quem archetypum dicere grammatici solent, altera versus qui versum 292 sequebatur pars macula operta erat. Quod adnotavit qui de illo novum exemplar conficiebat librarius, cur post *ἔργα* carmen hiaret hoc modo excusans. Postea autem aut ex aliis libris aut transscribentium coniectura lacuna expleta est. Qui novis exemplaribus utebantur, *βρότεια*, qui suo ingenio confidebant, *τὰ θρηγιῶν* scripsisse puto, nec tamen, si quis de hac re aliter sentire maluerit, obloquar. Vocabulum autem illud *ἄλειμα* vel *ἄλιμα*, qui prioris codicum familiae auctor extitit, ut supervacaneum omisit, qui alterius, servavit, unde in omnibus fere huius stirpis codicibus etiam nunc legitur.

Berolini

RUDOLFUS KEYDELL